

R. 97.
8
228
1719, 7

FACULTATIS JVRIDICÆ DECANVS
GVL. HIERON.
BRVCKNERVS

CONSILIARIUS SAXON. ET ANTE-
CESSOR JENENSIS

*Ad lectionem solemnem, quam cur-
soriam vulgo vocant,*

^a
Nobilissimo Jurium Candidato

GEORGIO HENRICO
ZAHNIO,

ADVOCATO NEOSTADIensi AD ORILAM

D. XXXI. Julii MDCCXIX.

IN AUDITORIO JVRICICO HABENDAM
Omnium ordinum Auditores decenter invitat,

SIMVLQVE DE

LATINITATE CORPORIS
JVRIS CIVILIS, AN PVRA
SATISQVE PROBA-
TA SIT,

nonnulla differit.

JENÆ,
LITTERIS MULLERIANIS.



Romisi nuperrimo programmate,
argumentum de Latinitate corpo-
ris Juris civilis, num pura satisque
probata sit, tractandum sumere,
quod ipsum jam exequi mihi est
propositum. De latinitate in-
quam corporis Juris civilis. Null-

Ius enim tam demens & absurdus fuit, qui Corpus Juris
Canonici, sive totum sive pro parte aliqua species, ele-
ganti constare latinitate asseruit, idemque censendum
venit de Jure nostro Feudali. Sicuti utrumque barba-
ris conditum est temporibus, ita subinde fluit turbidum,
& sordes illorum temporum vehit. Tunc JCTires ipsas
unice respexerunt, non autem Veneres & lenocinia ver-
borum. Jus nostrum Civile quod attinet, congestum
id est e Pandectis, Codice, Institutionibus & Novellis.
Ullum unquam Codici & Institutionibus puram latinita-
tem vindicasse non memini, multo minus Novellis, quæ
Justiniani tempore maximam partem Græca lingua primi-
tus sunt scriptæ, & postea non ad genium Latinæ sed po-
tius primitivæ linguæ in Latium translataæ. Res igitur
tota redit ad Digesta, quæ sunt composita e sententiis Pa-
pianiani, Pauli, Ulpiani aliorumque veterum JCTorum,
de quibus persuasi sunt plurimi, sat bona illos latinitate
fuisse usos. Imo nonnulli eo fiducia processerunt, ut
contendere non sint veriti, quod, si tota periisse latini-
tas, e juris posset corpore restituiri. Ast hi risu potius
quam applausu sunt excipiendi. Licet enim totum Juris
civilis corpus consideremus, quaterus non modo Pande-
ctas,

tas, sed etiam Codicem Institutiones & Novellas complectitur, non omnes tamen voces latinas illis contineri patet, tantum abest, ut omnes phrases latinæ, in quibus potissimum indeoles hujus linguae consistit, in iis reperiatur. Misera facies linguae latinæ prodiret, si non aliunde quam e Juris civilis corpore posset adstrui. Propius accedamus ad scopum nostrum, scilicet latinitatem Digestorum, num semper bona sit satisque probata. Certamina super hac re orta sunt haud levia, quorum referre historiam forte Lectori non erit ingratum. *Laurentius Valla*, quem cum Erasmo Roterod. comparare soleo, in libris Eleganticarum cum bene tum male de veteribus JCTis Papiniano, Paulo ceterisque meritus dicitur. Et bene quidem, dum in præfatione lib. 3. *Elegant.* ita scribit: *Perlegi proxime 50. digestorum libros, ex plerisque jurisconsultorum voluminibus excerptos, & relegi quum liberenter, tum vero quadam cum admiratione. Primum, quod nescias, utrum diligentia an gravitas, prudentia an equitas, scientia rerum an orationis dignitas preflet, & majori laude digna esse videatur. Deinde quod bicipita in unoquoque illorum omnia sunt egregia & perfecta, ut vobementer dubites, quem cui præferendum putes.* - His autem (JCTis veteribus) qui inter manus versantur, nihil est mea sententia, quod addi adimive posse videatur, non tam eloquentie (quam quidem materia illa non magnopere patitur) quam latinitatis atque elegantie: sine qua ceca omnis doctrina est & illiberalis præfert in Jure civili. Ratio instituti, qua brevitatisti studendum est, non fert, ut omnia verba, quibus Valla citato loco veteres illos JCTos etiam ob latinitatem extollit, luc trans-

scribam, mereantur tamen expendi, & nescio, an aliis ho-
 norificentius de illis senserit. Male autem censetur me-
 ritus, dum postea lib. 6. elegant. per aliquot capita repre-
 hendit illos Jctos non tam ob voces & phrases minus la-
 tinias, quam ob significationem vocationum latinarum per-
 petram expositara. Cui primum se opposuit insignis
 Jctus & Criticus Andreas Alciatus, qui lib. 4. de verb. si-
 gnif. in omnibus istis contradixit Vallæ, & postquam alius
 surrexit, sub nomine Francisci Floridi Sabini opitulatus
 Vallæ, Jacobus Capellus Sabino Antagonista prolixius re-
 futato acerrimum egit Defensorem veterum Jctorum,
 qui tamen in fine, mutata Defensoris persona in Censo-
 rem, non solum sequentia memoratu digna scripsit:
*Ceterum negare nolim, multa in Pandectis reperiri non sa-
 tis probata latinitatis, quadam durius constructa, pleraque
 insolita, nec ab aliis autoribus usurpata, sed etiam, ne
 gratis hæc dixisse videretur, Digesta a capite ad calcem
 percurrit, & adduxit primum quam plurima verba, qua
 putat esse non satis probata latinitatis, aut non ex rece-
 pta significatione, vel contra Grammaticorum regulas, a
 Jureconsultis usurpata; deinde inusitata vocabula, & ab
 aliis autoribus non usurpata aut etiam duriora. Quo-
 niam vero nec hanc Censuram ferre potuerunt Carolus
 Andreas Duckerus, & celebris Jctus & Senator Batavus
 Cornelius van Bynkershoeck, edidit ille anno hujus seculi
 XI. opuscula varia, de Latinitate Jctorum veterum in 8.
 Lugduni Batavorum impressa, in quibus Capelli Censu-
 ras refutare conatus est, adjectis adhuc aliis notis & scri-
 ptis; hic autem in Observationibus Juris Romanis, quarum
 libros IV. in 4. Lugdun. Batav. anno hujus seculi X.
 vulga-*

vulgavit, lib. i. cap. XXV, cui inscriptionem fecit: *De-
fensa Latinitas Pandectarum*, ad Jacobi Capelli dubia &
objectiones respondere voluit. Speciminis loco hæc es-
se possunt, Iustiniano Imp. nunquam deesse succenturia-
tos milites fogatos, nihil non tentantes pro ipsius gloria
& existimatione. Vidi quoque duas dissertationes, sub
Præsidio Georgii Casparis Kirchmaieri, Eloqu. Profess.
Witteberg. habitas, quarum una sub titulo: *Latinitas
Legalis præter meritum suspectæ et Pandectaris Juris eruta &
vindicata anno M DC LXXXVII. edita*, Respondentem
præfert Johannem Knipium, & tria continent capita, 1. op-
positum est Scioppio 2. directum contra Vallam 3. vindicat
Latinitatem in Digestis præter meritum suspectam ex
variis, in primis Catell. Cotta, Popma, Barnaba Brisso-
nio, Vossio, Barthio, Vorstio & aliis. Altera eodem fere
titulo ornata, & anno M DC XC. vulgata Responden-
tem gerit Petrum Christophorum Vebr., pariterque tribus
constat capitibus, quorum 1. agit de Obscuris 2. de suspe-
ctis 3. de corruptis & monstrosis. Fertur idem Kirch-
maierus duas alias edidisse dissertationes de Latini-
tate veterum JCTorum, quas videre mihi non
licuit. Ut meam hac in re proferam sententiam,
sicuti multa, quæ pro defensione veterum JCTorum
adducuntur, recte se habere arbitror, ita hyperaspistas Ju-
stinianeos plerosque duabus falsis niti hypothesibus de-
prehendo, dum existimant, voces & phrases omnes in
Pandectis occurrentes esse veterum JCTorum, quorum
nomina leges gerunt præfixa, deinde, si ex alio autore la-
tino similem vocem vel phrasin allegare possunt, vicisse
se & obtinuisse contra Censores statuunt, quod volunt.
Enimvero constat e l. 1. §. 7. & l. 2. §. 10. C. de jur. vet. e-

uul. Justinianum tam laxam potestatem Tribonianum e-
 jusque Collegis dedisse in colligendis veterum I^Ctorum
 sententiis, ut pro libitu quædam addere, quædam detra-
 here, quædam mutare, quædam in compendium redigere
 potuerint, & nemini licuerit comparare ea, quæ antiqui-
 tashabuit, cum illis, quæ Tribonianus ejusque symmista
 tradiderunt, quoniam Imperator omnia illa sua fecit.
 Igitur non cunctæ voces & phrasæ in Pandectis obveni-
 entes sunt veterum I^Ctorum Papiniani, Ulpiani & alio-
 rum, quorum nomina leges præferunt, sed multæ cen-
 sentur esse Tribonianii ejusque sociorum & sic remotæ a
 seculo, in quo purior viguit latinitas. Exempli loco su-
 mainus, l.27,D, de re judic, quæ juxta inscriptionem e Mo-
 destini Responsis sumta est, & in qua dicitur i. *Præses pro-*
vincia usurps usurarum condemnavit (quis credit Mode-
 stinum hac phrasí usum?) 2. *Modestinus respondit* (si
 verba legis essent Modestini, non ipse se nominasset; al-
 legatur autem ejus responsum, quod, uti ex inscriptione
 patet, ex libro i. responsorum est desumptum & procul du-
 bio in illo libro pluribus rationibus munitum, sed ab
 architectis π. in nucleo exhibitum 3. *Si sententie certa*
quantitas continetur (quis iterum sibi persuadēbit, hanc
 phrasin esse Modestini, & non potius Tribonianii, aut e-
 jus affectuarum?) Deinde collectio illa non semper valet,
 hæc vel illa vox in Pandectis usurpata etiam apud alium
 latinum autorem invenitur, Ergo convenit bona latinita-
 ti. Experientia enim in vernacula nostra (sed forte si-
 militer in alia quavis) testatur, aliquando vocem & phra-
 sin a duobus vel pluribus Germanis adhiberi, nec tamen
 satis bonam esse Teutonicam, Potius ita ratiocinari de-
 bemus, hæc vel illa vox aut phrasis ab aliis contra mo-
 rem

SS(7)SS

tem receptum ita usurpatur, igitur excusari quodammodo, non autem tanquam probata Teutonica sibi aut ad imitationem proponi debet. Quod ipsum inde clarius cognoscitur: si plures ejusmodi voces & phrases contra morem usurpatas colligere, & in una epistola vel historia exhibere vellemus, quam horrida & aspera nasceretur oratio? Plura de hoc argumento adferre tempus jam non permittit, cum restent quædam de Nobilissimo Candidato

GEORGIO HENRICO ZAHNIO

Advocato Neostadiensi ad Orilam

Cicenda. Sortem nascendi anno M DC LXXXIX ei dedit Lossa, Thuringie nostræ villa, in qua Parentes, JOHANNES ZAHNIUS, & MARIA, nata HILDEMANNIA prædis gaudent bene quæstis. Filium istum ad studia liberalia proclivem & aptum domesticis præceptoribus tradiderunt erudiendum, quos inter laudat UNGERVM, apud Eckartisbergenses jam Rectorem bene meritum, cui succedit PFEFFERVS Rector nunc Wihenfis, ita ut curæ utriusque multum se debere Noster profiteatur. Postea in celebre Numburgensi se contulit Emporium, ubi sibi fideli informatione Rectorum M. TOEPFERI, & LAVRENTII, patriterque M. HEINSII Correctoris, jam inter coelites degentium, nec non M. ADAMI GSCHWENDII nunc Archidiaconi Numburgensis haud contempnenda in studiis jecit fundamenta. Dignus igitur judicatus, quia ad altiora studia dimitteretur, anno MDCCVIII Salanam nostram adiit, ubi primum philosophica frequentavit Collegia JOHANNIS JACOBI MULLERI, Moralem & Politicæ, JOHANNIS JACOBI SYRBII Philosophia Primæ & Rationalis, & JOHANNIS CASPARIS POSNERI Eloquenter Professorum; deinde ad studium Juris se convertit, in quo

ex-

excolendo peperit ex ore illustris Consiliarii Intimi
 WILDVOGELII, B. Professoris ADRIANI BEIERI, & con-
 sultissimorum Juris Doctorum HERTELII & BRAVNII.
 Triennio apud nos peracto domum redit, mox vero Lipsi-
 am migravit, ubi præstantissimos Ictos MENCKENIVM,
 TITIVM, SCHACHERVM aliasque summo cum fructu
 audivit. Jam tempus esse ratus, quo se juris praxi daret,
 apud Serenissimum Principem MAVRITIVM WILHEL-
 MVM, nunc divum impetravit, ut exploratis Juris profecti-
 bus & præstito jurejurando anno M DCCXIII Advocato-
 rum numero in præfecturis Arnshaugensi & Ziegenrucken-
 si, tandemque anno M DCC XVII in Regimine Weidensi
 adscriberetur. Et quoniam in nostra Academia semper se
 probum, modestum & sedulum gessit, quarum virtutum
 testimonium & ego, cuius ædes per aliquod tempus olim
 inhabitavit, præbere possum, conveniens esse judicavit, ut
 apud Nos studiorum præmia decenter peteret. Dignus
 summis in Jure Honoribus, ut hos rite consequeretur, ro-
 gavit, ad consueta Candidatorum Examina admitti; in
 quibus, ubi desiderio ejus annuimus, talem invenimus, qui
 theoriam cum praxi feliciter junxit, & ad edenda publica e-
 ruditio[n]is specimina produci mereatur. Primum igitur
 habebit Lectionem solemnem ad l. 41. §. 1. D. de verb. oblige,
 cui actui ut crastina luce Magnificus Academæ Pro-Rector,
 Magnificus Pro-Rector designatus, Illustrissimus Comes
 de Solms, Proceres Academæ venerandi, Hospites omni-
 um ordinum & Facultatum honoratissimi, pariterque
 Generosi & Nobilissimi Studiosi interesse velint, Facultatis
 meoque proprio nomine submisse, & humanissime
 oro rogoque. P. P. Jenæ d. XXX. Julii
 M DCC XIX.

(L.S.)

Nur für den Lesesaal!

ULB Halle
003 594 416

3



Sb



Farbkarte #13



B.I.G.

Black

FACVLTATIS JVRIDICÆ DECANVS

**GVIL. HIERON.
BRVCKNERVS**

CONSILIARIUS SAXON. ET ANTE-
CESSOR JENENSIS

*Ad lectionem solemnem, quam cur-
soriam vulgo vocant,*

Nobilissimo Jurium Candidato

**GEORGIO HENRICO
ZAHNIO,**

ADVOCATO NEOSTADIensi AD ORILAM

D. XXXI. Julii MDCCXIX.

IN AVDITORIO JVRICICO HABENDAM
Omnium ordinum Auditores decenter invitat,

SIMVLQVE DE

**LATINITATE CORPORIS
JVRIS CIVILIS, AN PVRA
SATISQVE PROBA-
TA SIT,
nonnulla differit.**

J E N Æ,
LITTERIS MULLERIANIS.

H 43

8

228

1719, 7